Hans Fries

De conexu chori personae

cum fabulae actione

DE CONEXV CHORI PERSONAE CVM FABVLAE ACTIONE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

CONSENSV ET AVCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HANS FRIES

MEMMINGENSIS.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

MCMXIII.

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum
rettulerunt

F. Leo et Pohlenz.

Examen rigorosum habitum est pridie Non. Dec.
anni MCMXII.

PARENTIBVS MEIS.

Editionibus utebar in versibus enumerandis his:

Fragmenta tragicorum Graecorum, coll. Nauck[2] Lips. 1889.
Aeschyli tragoediae, ed. A. Kirchhoff Berol. 1880.
Sophoclis tragoediae, ed. Dindorf-Mekler Lips. 1906.
Euripidis tragoediae, ed. Nauck Lips. 1906.
Fragmenta comicorum Graecorum, coll. A. Meineke Berol. 1839.
Aristophanis comoediae, ed. Th. Bergk Lips. 1903.
Menandrea, ed. A. Koerte Lips. 1910.
Senecae tragoediae, ed. Peiper-Richter Lips. 1902.

Quaerentis, quomodo chori cantica cum fabulae actione sint coniuncta, scire interest quemadmodum cohaereat chorus in universum cum fabulae argumento. Qua in re Graecorum omnes et Romanorum poetas scaenicos haesitasse iam inde elucet quod chorus semper certa quadam persona indutus in scaenam prodit et non modo antiquissimi poetae dramatici, sed etiam auctor Octaviae vel Lucianus hanc quaestionem solvunt suo quisque modo.

Atque primum quidem ponere possumus, cum poetae pro suo quisque ingenio consilium studiumque in artis suae quaestiones conferant, Aeschylum, Sophoclem, ceteros poetas hac in re inter se differre. Deinde, cum sit poetae officium gaudiumque variare inventionem cumque eiusdem poetae sententia de rebus technicis pro experientia et studio commutetur, pro certo affirmare possumus, ut Aeschyli sententia de conexu chori cum argumento fabulae alia fuit cum fabulas componere inciperet alia cum desineret, ita etiam Sophoclis sententiam vel ceterorum poetarum paulatim mutatam esse. Quo fit, ut quaestio de conexu chori cum argumento fabulae non solum ad singulos poetas, sed etiam ad unamquamque fabulam eorum poetarum pertineat. Quam quaestionem si instituerimus demum edocebimur de poetarum componendi ratione.

I.

Ex Aeschyli tragoediis non plures quam septem integras nobis servatas esse dolemus quidem, sed gaudemus, cum quo doctae sint tempore fere constet, per plus quam viginti annos eius poetae ingenium prosequi nos posse.

Nescio an nulla aetate poetae tragici maius quicquam moliti sint quam Aeschyli temporibus: Nam in Supplicibus et Persis argumentum fabularum est fortuna multitudinis hominum (filiarum Danai, Persarum), cum in Orestia sit argumentum fabulae fortuna singulorum hominum, scilicet Agamemnonis, Electrae, Orestis. At quis fuerit ille poeta, qui ea via duceret tragoediam nescimus. Nam Sophocles doctissimus ille tragoediarum auctor quibus quidem singulorum hominum fortunae aguntur anno 468 de Aeschylo victoriam reportavit: Aeschylus, cum anno post Sophoclis victoriam edidisset Septem, fabulam qua mirabilis coniunctio veteris et novi status efficitur, anno 458 Orestiam novi generis tragoediae optimum exemplum in lucem protulit.

Haud opus est data opera demonstrare quantopere haec commutatio argumentorum pertineat ad conexum canticorum chori cum fabulae argumento.

Tragoediam vetustissimam Aeschyli esse Supplices certum est[1]). Et in hac chori ipsius fortuna fabulae argumentum est[2]) quare certe artissima chori cum ar-

---

1) G. Mueller, De Aeschyli Supplicum tempore atque indole; Diss. Hal. 1908.

2) Chorus ab Aegypti filiis petitus in Argivorum terram fugit et Pelasgum regem orat, ut se tueatur. Quibus precibus obsecutus cum populi consensu chorum, postquam impedivit, ne chorus ab

gumento coniunctio fit. Annis fere octo post in Persis praeter chorum duas alias personas implicitas videmus fortuna ea de qua fabula est: clade Salaminia. Hic chorus cum aliis histrionibus eo coniunctus est, quod iisdem rebus opprimitur et imprimis hic quoque chorus laborat [1]). Itaque videmus Aeschylum de choro hoc sentire, chorum ipsum pati et causam doloris eius vel gaudii argumentum fabulae esse debere. At anno 467, quinque annis post in Septem quae inscribitur contra Thebas tragoedia non iam per totam fabulam laborantem induxit chorum sed sola prima parte, atque urgetur chorus eadem re atque ceterae personae, scilicet oppugnatione urbis. Id ipsum, quod fabulae proprium est, altercatio fratrum, in ea parte non nisi semel commemoratur v. 70. Usque ad v. 636 chorus non curat fratrem a fratre oppugnari: hostes sunt, qui urbem oppugnant, timent ne in servitutem abducantur, pro se et urbe preces instituunt, ne urbs diripiatur metuunt. Tum demum, cum Eteocles fratrem aggredi animum induxit, fabulae quasi novum argumentum subditur Eteoclis sors, quo cum chorus non nisi per studium coniunctus est [2]). Nunc alterius miseriam commiseratur,

---

Aegyptio legato raperetur, in urbem ducit. Chorus per totam fabulam de se et sua fortuna vel timet vel gaudet vel precationes instituit.

1) Nunquam regum, Xerxis vel matris, fortunam verbo attingit sed semper de se et publicarum rerum statu loquitur.

2) Chorus secundo stasimo perraro de argumento priore mentionem facit (v. 743 et 747 δέδοικα δὲ σὺν βασιλεῦσι μὴ πόλις δαμασθῇ) neque poetae contingit, ut quomodo mulierum animi de se ipsis commoveantur et de Eteocle, homine alieno, inter se coniungat. Quod quidem revera poetam sibi proposuisse eo quod chorus v. 807 s. quaerit apparet et eo, quod fratrum caedes lugere decernit quantum intersit inter priorem et secundam partem docetur.

non suam, cum antea ipse passus sit idem atque alii omnes (cf. v. 245 σὺν ἄλλοις πείσομαι τὸ μόρσιμον). Quo fit, ut Septem in utramque partem magni momenti sint. Nam non modo duo tragoediae genera uno opere coniuncta esse videmus sed etiam chorum duas partes agentem. At partes quas priore parte agit ex prioribus tragoediis notae sunt; tum novum genus chori poeta induxit non laborantis sed sollicitudine sortis alterius hominis affecti. Quod genus, quomodo cum fabulae argumento coniunctum sit si examinabimus contendere poterimus hac in Aeschyli fabula primum exstare, quo chorus quam longissime ab argumento reiciatur. Id Aeschyli esse proprium sola Septem tragoedia nixus neque affirmes neque neges. Sane respicienda est anno ante de Aeschylo reportata victoria Sophoclis divini illius auctoris fabularum, quae sunt de unius hominis sorte. Certe, cum anno fere 480 in Supplicibus haec poeta nondum animo volutaverit, in Persis iam initia novae rei videri possunt eo, quod rex et regina Persarum multo vehementius clade affligi debent quam alii Persae. Quod Aeschylus non docet. Clades enim Persarum poetae ut erat liberae rei publicae civis totius populi res fuit, non regum solorum. Huc accedit, quod, qua erat forma tragoedia, necesse videbatur chorum praevalere. At in Septem tragoediae altera parte id ipsum novum invenimus! Sed novum quoddam ab alio inventum cum vetere suo modo componere haud ita artificiose videtur; conciliare vult, id quod non est inventoris.

Qua nova re docta Graeci poetae non iam quaesiverunt, quomodo cum chori fortuna coniungeretur ceterorum fortuna, sed quaerebant, quomodo chorus cum for-

tuna cuiuslibet hominis, cuius fata argumentum fabulae essent, coniungeretur. Quam multa hoc in statu rerum inveniri potuerunt!

Ab Aeschylo novam artem strenue cultam esse nos Orestia docet et perbene evenit, ut ex tribus fabulis unius anni 458 quid poeta sentiat de nova ratione conectendi chori cum argumento colligere possimus.

Agamemnonis fabulae argumentum est caedes Agamemnonis victoria parta e Troia redeuntis a Clytaemestra uxore perpetrata. Chorus senum Argivorum est cum argumento arte coniunctorum, scilicet quorum rex praeclarissimam victoriam assecutus sit, quorum filii e Troia redeant, qui regem suum in periculo esse sentiant, tandem interfici videant. Sed Aeschylus hoc conexu non utitur, ut chorum partes agentem faciat; immo chorum eum in scaenam producit, qui quamquam cum commotione quadam animi, quae quidem prima parte non tam perspicua est[1]) tamen imprimis cum cogitatione mentis factis interest. Sub finem demum fabulae quomodo chorus cum Agamemnone coniunctus sit apparet e v. 1407 φύλακος εὐμενεστάτου et e v. 1451 βασιλεῦ. Huc accedit quod sub finem demum ipsos laborare dici potest, cum iugum tyranni sibi odiosi subituri sint (v. 1319, 1604, 1636).

In Choephoris per totam fabulam chorus cum Electra animorum consensu et quasi concentu[2]) coniunctus est.

---

1) Quae sit causa anxietatis (v. 99) chori — utrum de exercitu an pro rege timeant — ex v. 930/40 demum divines, cum de Agamemnonis fine vaticinari videantur.

2) Electra comitibus suis dicit v. 94 κοινὸν γὰρ ἔχθος ἐν δόμοις νομίζομεν et revera Clytaemestra choro est v. 42 δύσθεος γυνή; quantae curae fortuna liberorum Agamemnonis choro sit apparet ex

Nam, quamquam poeta chorum ea persona induit, qua non tam prope primarum actorem attingit, nam ancillae sunt, tamen ipsum tamquam eadem misera fortuna miserum factum finxit. In Furiis res agitur de Oreste quem Furiarum chorus pro divino (v. 328) munere[1]) suo delere vult et superi servant. Hac in fabula chorus eadem vi atque aliae personae partes suas agit et suam fortunam persequitur.

En, eodem anno tria inventa valde inter se differentia: Unum Furiarum chorum totum in argumento collocat. Efficit enim fortunam eius hominis, in qua argumentum fabulae positum est; ipse personae primarum partium Orestis, fortunae auctor est.

Item Choephororum chorus penitus inhaeret argumento, quod cum persona primarum partium toto animo sentit.

Tertius, senum Argivorum, chorus magis cogitatione quam affectu argumenti particeps est[2]).

Aeschylus igitur anno 458 ita de choro sentire videtur, ut eum sua ipsius fortuna uti velit. Quam-

v. 26, 45 ss., 74 ss. Aegistum oderunt (v. 104, 153, 259 s., 374 ss. et al.) Agamemnonem amant (v. 147, 150, 360) lacrimas profundunt quod Orestis inventa sint vestigia. Chori animi commoventur quod ius violatum sit (inde v. 71 et deorum preces v. 300 ss. et v. 628) adeo, ut Orestes et Electra magis hoc furore inflammatae personae videantur et chorus revera suam causam agere videatur. Quidquid in scaena fit animos chori commovet: liberorum facinore exsultat v. 928, 941 ss. et Orestis vesaniam graviter fert in exodo.

1) Scilicet multo melior causa agendi quam est causa chori Choephororum.

2) Quod quidem omnino e natura chori et fabulae fit. Nam senes sunt et non solum in fine demum quid Clytaemestra mente moliatur apparet sed etiam Clytaemestra et Aegisthus domini sunt potentes chori metuentis. Caede facta, scilicet ubi primum res perspicua fit, chorus propius ad argumentum fabulae accedit.

quam hac in re libertatem magnam sibi vindicat. Nam in Furiis chorus suam rem ab initio per totam fabulam agit. In Choephoris chorus sub finem caret fortuna: Orestis vesaniam videt commotis solum animis. In Agamemnone chorus fortuna sub fine demum utitur.

Deinde causam quoque huius fortunae cum argumento coniunctam esse vult eo modo ut oriatur e fatis cuiusvis hominis de quo fabula agatur.

Ut Orestiae argumentum ita Promethei fortuna est hominis unius. Cuius fabulae, neglecta quidem quaestione utrum vere Aeschyli sit necne[1]), examinemus chori personam. Constat quidem ex Nereidibus quae, quemadmodum chorus in Septem fabulae altera parte, cum Prometheo consensu animorum[2]) coniunctae in exitu prout Aeschylus postulat, ut chorus sua fortuna utatur, cum Prometheo in Tartarum proripiuntur. Conectitur ergo chorus cum rebus fabulae eodem modo quo iam in primis fabulis factum est (altera parte VII, Agamemnone).

Itaque in hac varietate chororum qua ratione fabulas componat poeta bene cognoscimus. Quod si ex fragmentis supplere vel firmare velimus, antea quid ex

---

1) Conferas Graeber, De poetarum Atticorum arte scaenica quaestiones V. Diss. Gotting. 1911 p. 7 ss.

2) Sane sit coniunctus cum Prometheo sanguine (cf. v. 293), e verbis eius solum quanto cum dolore (v. 146, 184 κτλ.) quam scilicet omnes dolent (v. 161, v. 245) Prometheum laborantem videant apparet. Immo non aliter Promethei atque Ionis cruciatibus intersunt. Nam ut primo stasimo Prometheum deplorat (v. 401 στένω σε τᾶς . . . κτλ.) et infortunium videns sibi ipsi laeta optat (v. 528 ss. μηδάμ' ὁ πάντα νέμων . . . κτλ., ita chorus Ionis miserias audiens v. 686 ἐὰ εὰ κτλ. miseratur Ionem et quarto stasimo sibi ipsi bona precatur v. 892 μήποτε μήποτε . . . κτλ. carmine sententia verboque cum secundo stasimo concordante.

titulis fabularum colligi possit statuemus. Cum enim Aeschylus per omnem suam aetatem a choro fabulae titulum indere posset (Supplices 480, Furiae 458), nil suppeditant eius modi tituli ad enucleandum tempus quo fabula composita sit. Deinde chorus certe in eis fabulis, quae a choro titulum acceperunt, partes quasdam egit, sed inde colligi nequit, quae fuerit fabulae principalis persona[1]). In Supplicibus enim est chorus, qui fabulae titulum indidit, persona primarum partium. Iam in Persis Atossa et Xerxes cum eo contendunt, in Choephoris Electra et Orestes principalium personarum partes agunt, in Furiis utrum chorus an Orestes primas partes agat dubium est. Quod cum non nisi ex integra fabula discamus, e fragmentis haud multa colligi poterunt.

Atque primum quidem non perspicuum est ex fragmentis, produxeritne in scaenam Aeschylus alia quoque fabula tam ingeniose quam in Supplicibus fortunam chori. Historia enim fabularis ipsa poetae aliud argumentum denegasse videtur, cum non traderet complures historias de multitudine hominum qui eadem fortuna uteretur. Deinde eodem modo atque in Persis fortasse poeta chorum conexuit cum argumento in fabula quam inscripsit Ἡλιάδες. Nam ut in Persis clades exercitus non solum regiam domum perculit sed totum populum chorumque, ita Phaethontis interitus non solum matrem sed etiam sorores i. e. chorum. Ea quoque ingeniosa inventio chori, sed perspicere non possumus, recesseritne a choro mater ut in Supplicibus Danaus a filiabus, an chorus a matre ut in Persis. In fabula quoque Φρύγες

1) Graeber l. c. p. 14.

quo Priamus, eodem facto chorus profligatur. Nam Priamus filium amisit, chorus optimum tutorem. Qui quantopere commoveatur ex Aristophane[1]) discimus. In fabula quae inscribitur Μυρμιδόνες chorus pugnare vult, cum dux ut proditor Graecorum in tentorio sedeat[2]), postremo privantur duce. In Caribus mater filium et chorus regem exercitumque amittit neque scimus egeritne chorus imprimis suas partes ut Persarum senes, an consensu animi cum infelici matre coniunctus sit. Admodum obscurus est Aegyptiorum chorus, quos, cum primo cum ducibus senserint, sub finem sua fortuna usos esse verisimile est. Tum in Septem primum vidimus chorum rebus in scaena gestis interesse dolore alieni hominis affectum, cum in Choephoris hoc genus chori optime excultum appareat. Atque e titulo solo non poterat effici eum artius cum Electra cohaerere. Sed consentaneum est novem annorum spatio interposito eiusmodi choros poetam plures induxisse. Huc chorus Cressarum referendus est. Nam filius regis vita spoliatur neque locus quo chorus propria fortuna utatur usquam conspicitur. Item in Nereidibus argumento non nisi cum consensu animorum interesse possunt, nisi forte ex eo, quod de filio sororis agitur propriam chori fortunam fuisse colligas. Idem in Iudicium armorum quadrare videtur. In Prometheo quoque liberato chorus solum condoluisse videtur. Accedit Σεμέλη ἢ ὑδροφόροι. Chori persona est ancillarum neque aliter atque animorum studiis cum Semela coniunguntur. Totus Philoctetae chorus voluntate cum primaria persona coniunctus videtur cum Dio Chrysostomus Or. 52 tradat

1) Apud Athenaeum I p. 21 cfr. Nauck. Fr. tr. Gr. p. 84.
2) Fr. 131 v. 3 N.

eum ex Lemniis compositum esse quibus quid sit cum Philocteta aliud non intellegi potest, neque choro Thressarum[1]) cum Aiace ignominia obruto sibi mortem consciscente. Aliquid interest inter chorum Furiarum et chorum fabulae Τοξότιδες. Furiae suas ipsae partes agunt contra Orestam, cum Τοξότιδες adversariae personae primarum partium sint at imprimis eam personam quacum aliquo modo coniunctae sunt, Dianam, agere colligas[2]). Eiusdem generis fuisse videntur Ἠδωνοί, Πενθεύς, Βασσαρίδαι[3]).

Quo facto Aeschyli rationem perspicimus qua in chori genera constituenda usus sit, neque apud alios poetas alia chori genera inveniemus. Interest inter Aeschylum aliosque poetas solum id, quod ille omnia fere genera aequaliter excoluit cum ceteri poetae certa chori genera praecipue ament scilicet ea genera quae non tam arte cum argumento coniuncta sint.

Atque Aeschyli genera haec sunt:

1) Chori ipsius fortuna argumentum est fabulae.

2) Chorus fortuna et consensu animi conectitur cum persona primarum partium.

---

1) Atque affirmat nobis hoc scholiasta Soph., Aiacis v. 134 ... τὸ δὲ τῶν αἰχμαλώτων κηδεμονικὸν μὲν, ὡς Αἴσχυλος ἐν Θρῄσσαις ... haud ita bene inventum dicens huiusmodi chorum (οὐ μὴν εὖ πρόσωπον) quamquam alia ratione usus.

2) Diana dux chori Nympharum est.

3) Huc fortasse Ionis Φρουροί spectant secundum verisimilem Welckeri coniecturam Proclo in Chr. p. 460 argumentum fabulae afferente: Ulixes Troiam intrat, Helenam videt, Troianos interficit. Excubiae, nam ex eis chorus constat, ut adversarii Ulixis rebus intersunt ipsi laborantes. Quo fit, ut conicere possimus tragoediam universam exempla poetarum illustrissimorum secutam esse nosque per Aeschylum, Sophoclem Euripidem de tragoedia universa Graecorum certiores fieri.

3) Chorus non fortuna sed solo consensu animorum cum argumento coniunctus est.

4) Chorus ad unam personam adiunctus obstat personae primarum partium.

5) Chorus per se personae primarum partium obstat.

Nunc poetis via patefacta erat chorum de argumento omnino excludendi. Nam chorus sola animorum commotione cum argumentis coniunctus carmina proferre potest.

Priusquam ad Sophoclem accedamus, de Phrynicho, quantum fieri potest breviter nonnulla proferenda sunt.

Phoenissarum chori[1]) ipsius fortunam fuisse argumentum fabulae ut in Aeschyli Persis scimus. Easdem, quas in priore parte Aeschyli VII partes egerit, in Μιλήτου ἁλώσει chorum, de quo quamquam nil constat tamen ex incolis Mileti eum compositum fuisse verisimile est, egisse prope vero est. Quomodo chorus in ea fabula quae inscribitur Ἀνταῖος ἢ Λίβυες et in Πλευρωνίαις cum argumento coniunctus fuerit haud secus dubium est atque in Αἰγυπτίοις quibus ut militibus cum ducibus fortunam et animos communes fuisse coniciat qui Sophoclis Aiacem conferat. Ita quamvis sint incerta Phrynichi, tamen etiam illum chori fortuna pro argumento usum esse verisimile est. Sed cum de temporibus quibus fabulae editae sint nil constet, qualem Phrynichus viam hac in re institerit dici nequit.

Sophoclis, ut Aeschyli, rationem nos docent septem integrae fabulae et fragmenta. Nil autem scimus de temporibus inde ab anno 468 quo primam victoriam de Aeschylo reportavit usque ad annum 440.

---

1) Conferas quaeso Graeber l. c. p. 56 ss.

Atque Sophocles non curasse videtur, quomodo in scaenam mittat fortunam complurium hominum [1]). Nam in fabulis eius nihil agitur nisi res singulorum hominum. Qua in re cum viam Aeschyli sequatur quaecumque ad conexum chori cum hoc argumento pertinent, in eis suo ipsius ingenio ducitur.

In fabula Antigona res est de fortuna et Oedipodis liberorum et Creontis. Quibus in rebus chorus senum Thebanorum versatur sola cum mentis cogitatione vel animi commotione [2]). Ceterum videmus id quod Aeschy-

---

1) Fortasse ut Aeschylus in Supplicibus, sic ille chori fortuna pro argumento usus est in fabula Ῥιζοτόμοι (N. Fr. tr. Gr. p. 248 ss.) siquidem titulus personae chori est, chorusque Peliae filiae sunt (Macrob. V. 19. 9 sat.). Ex integris Sophoclis tragoediis una a chori persona nomen habet: Τραχίνιαι, ceteris sex fabulis nomen indidit a primarum partium persona. Quod Sophocles eodem modo nomen ethnicon fabulae titulum facit quo Aeschylus in Πέρσαις et Euripides in Φοινίσσαις, Τρῳάσιν, certum est Sophoclis quoque eiusmodi titulos fabularum personam chori nos docere: in fabula Λήμνιαι revera mulieres Lemniacas, in Μυσοῖς viros Mysiae chorum efficere etc. Aliis titulis velut Ἀλευάδαι, Ἀντηνορίδαι, Ἐπίγονοι nil de choro conici potest. At certi quid de persona chori colligas ex titulis Αἰχμαλωτίδες, Μάντεις, Ποιμένες, Ῥιζοτόμοι, Τυμπανίστριαι, Ὑδροφόροι si memoriam revocas Aeschyli Χοηφόρων vel Aristophanis Θεσμοφοριαζουσῶν, Ἐκκλησιαζουσῶν. Ex titulo autem solo neque apud Aeschylum neque apud Sophoclem quicquam de primo vel secundo vel tertio chori loco colligas. Revertamur ad fabulam Ῥιζοτόμοι: Peliae filiae patrem ut recoquant interficiunt. Filiarum haec miserrima fortuna argumentum est fabulae, nisi forte Medeam (cf. 491 fr. et Macrob. sat.) primarias partes agere affirmes. Quodsi chori fortuna argumentum est, certe ingeniose hoc quoque invenit Sophocles. Fortasse Λήμνιαι eiusmodi fabula fuit (Fr. tr. Gr. N. p. 215) cum earum fortuna argumentum efficiat fabulae (Schol. Ap. Rhd. I. 769).

2) Primo stasimo deliberat de rebus in saena actis, pro se ipso optat, breviter — ut Promethei vel Agamemnonis chorus — misericordia commovetur Antigonae adventu quae legem duram migraverat v. 379 ss. Ceteroquin frigidi senes sunt, quibus Anti-

lus postulat ut sua ipsius fortuna chorus utatur etiam Sophoclem sequi, at hic chorum non ut Aeschylus cum argumento coniungit hac propria fortuna, sed separat ab argumento. Nam laetitia liberationis valde abhorret ab Antigonae et Ismenae maestitia vel luctu Haemonis. Sed Sophocles neglegit alteram Aeschyli legem, nam non nascitur huius chori fortuna ex argumento fabulae[1].

In Aiace Sophocles quamquam chorum maximam partem cum fortuna personae primarum partium patiendo coniunxit[2]) tamen hic quoque carmina canentem

---

gonae fortuna exemplum theologiae suae est (v. 472, II. stas., v. 603). III. quoque stasimum nil nisi Amoris laudatio. v. 801 demum vehementius animis commoventur, nam lacrimas effundunt. v. 834 chorus consolatur sed v. 853 ss. et 872 iam non cum misericordia rebus intersunt et cum Antigonae tristitiam leniunt mortalium casus proferentes, qui etiam dum miserabiliter pereunt personae tragoediae, mores suos senilemque prudentiam adhibent. Huc accedit propria chori fortuna. Nam cum liberati sint oppugnatione hostium gaudio exsultant parodo et V. stasimo.

1) Eiusdem forte generis chorus in Λαοκόων fabula fuit (Fr. tr. Gr. N. p. 211) si recte Proclum Sophoclis argumentum afferre conicitur. Troes, siquidem chorum effecerunt, dum laetitiae pleni Neptuno sacra faciunt cum animi commotione vel cogitatione Laocoontis morti intersunt, postremo cum gaudio in urbem liberatum revertuntur. Sed haec mera est coniectura.

2) Eo quod Aiacis fato chorus laborat fit, ut non solum una cum Aiace dolore afficiantur et gaudio, (σὲ μὲν εὖ πράσσοντ' ἐπιχαίρω v. 136; τοῖς ξυναλγοῦσιν . . . v. 283, v. 525 ss. v. 596; sunt quidem φίλοι v. 300, 348; animi commutationem Aiacis summa laetitia excipiunt v. 693 ss., quam nuntius in luctum vertit v. 784 ss. cura turbati eum quaerunt v. 866 et valde lugent cum mortuum invenerunt.) sed etiam ipsi patiantur (v. 139 ss. σὲ δ' ὅταν . . λόγος . . . κακόθρους ἐπιβῇ μέγαν ὄκνον ἔχω καὶ πεφόβημαι . . et ipsi ignominia affecti sunt μᾶτερ αἰσχύνας ἐμᾶς v. 174 et v. 216, 269, 273, 70. et maereut v. 203, quin etiam fugam capessere in animo habent v. 245 ss.

facit e propria fortuna haud ita arte cum Aiacis coniuncta sumens [1]).

Antigonae et Aiacis proprium est, quod ipsa chori fortuna in initio et ad finem locum obtinuit. In media fabula choro aliena fortuna curae et a qua in Antigona longius abest quam in Aiace. In Aiace chori ipsius fortuna non separat eum ab argumento, scilicet e fato Aiacis oriuntur chori labores, sed coniungit. Videmus igitur Sophoclem eandem quam Aeschylus rationem sequi, qui chorum arte cum argumento fabulae coniungit. Oedipus Rex Sophoclem longius hac in via progredientem monstrat. Cives pestilentia urgentur, itaque cum precatur chorus suam ipsius rem agit. Sed non prohibetur quominus, ut Aiacis chorus, consensu animorum quoque a parte personae primarum partium stet [2]) [3]). Qua in tragoedia per totam actionem chorus

---

1) Iam e primo stasimo v. 596 ss. elucet desiderium patriae quo totum quartum stasimum abundat (v. 1217 γενοίμαν ἵν' ὑλᾶεν . . .)

2) V. 60 ipse Oedipus ait νοσεῖτε πάντες, ὡς ἐγὼ et v. 63 ἡδ' ἐμὴ ψυχή πόλιν τέ κ' ἀμὲ καί σ' ὁμοῦ στένει i. e. rex et chorus eadem calamitate premuntur, id quod in chori parodo manifestum fit v. 151. Cum Tiresias rexque disceptant a rege stant (v. 511) prima dubitatione (v. 485) superata. Tum cum indicia contra Oedipum augentur dubii utrum credant Oedipo necne, pro rege et pro se ipsi deos implorant v. 879. Quod Polybus pater Oedipi non est, regem esse filium deorum qui in Cithaerone monte divino numine procreatus sit. Revera rex amatus a Thebanis Oedipus est quod est chori proprium (v. 1093 τοῖς ἐμοῖς τυράννοις . .). Cum perspiciant quomodo res se habeat lacrimas effundunt (v. 1218) suum regem lugent (1202 βασιλεὺς ἐμὸς) postremo laudant, v. 1220 . . . ἀνέπνευσα δ' ἐκ σέθεν, commiserantur eum propter infortunium, quod infelix homo caecus sit.

3) Fortuna consensuque animorum cum persona primarum partium coniuncti fuisse videntur chori in fabulis: Μελέαγρος (N. p. 219) si quidem Apollod. I. 8,3 argumentum exhibet. Chorus sacerdotum

canticorum sententias derigit ad casus eius qui primas partes agit. Itaque poetam simulatque Oedipum scripsisset finem fecisse rationis et viae inde ab 449 initae dicas, nam in fabulis insequentium annorum, in Trachiniis [1]) et Electra [2]) hanc coniunctionem omittit et alteram

---

Meleagrum rogat ut opem ferat Calydonibus, scilicet ipse laborat oppugnatione urbis. et amore et studio Althaeae et Meleagro deditus partes agere potuit. — Λαρισαῖοι, (N. p. 214) qui rege disci ictu interfecto privantur et ira et studio cum Perseo Acrisioque coniuncti fuisse videntur. Ἰφιγένεια, cuius chorum militum fuisse castrorum ex Ennii Iphigenia (p. 44. Tragicorum R. fr. R.) forte concludas. Ipsi aegre ferunt quia retinentur eo impedimento quod morte Iphigeniae de medio tollitur. Aliis in tragoediis chori ipsius fortuna neglecta consensu animorum chorum actionem prosecutum esse videtur: Μυσοί (N. p. 220 s.) recte si Welckerum coniecisse putas fabulam esse de fortuna Mysorum regis Teuthrantiae et uxoris Auges filiique Telephi. In Αἰχμαλωτίσιν (N. p. 138) si vera est coniectura Schoelli Bergkique qua colligunt fabulam esse de expostulanda Chryseïde chorum non esse captivas Troades sed captivas urbis deletae Chrysae verisimile est, quas cum Chryseïde amore coniunctas esse consentaneum est.

1) Deianira et Hercules Trachine versantur scilicet in urbe externa non in patria. Trachiniae animis commotae ad regias domos veniunt et Deianiram satis frigide consolantur (v. 103 ss.) neque Deianira se applicat ad chorum ut e virginibus constantem, cum ipsa sit mulier (v. 143 νῦν τ'ἄπειρος εἶ et v. 730 ᾧ μηδὲν ἔστ' οἴκοι βαρύ.) hic desunt communia fortunae, merus animorum consensus est. Deianira chorum φίλαι (v. 176, 298, 531) φίλαι γυναῖκες (v. 225) appellat et chorus Deianiram φίλα γυναικῶν (v. 222) et ἄνασσα 291.) Gaudio exsultant nuntio laeto allato (v. 205 ss.) et secundo stasimo orat ut Hercules veniat. hic Sophocles chorum pro se orantem facit, nam chorus ipse eum desiderabat (v. 647 ἀπόπτολιν εἴχομεν . . . ἀμμένουσαι . .) laborantes Herculis absentia (v. 654 ἐπίπονοι ἡμέραι) Sed solum hic propriam fortunam attingit neque persequitur hoc argumentum cum v. 850 ss. Herculem et Deianiram lacrimentur virgines chori et quartum stasimum totum amorem et studium spiret.

2) Mala patiuntur Orestes et Electra quibuscum chorus virginum Mycenaearum amicitia coniunctus est (v. 134 παντοίας φιλότητος . . . χάριν ἀμοιβόμεναι., v. 1227 ὦ φίλταται γυναῖκες . . ., v. 1398, εὐνοίᾳ γ' αὐδῶ . . v. 233 s.) Dicit quidem chorus se suam ipsius rem

rationem iam in Antigona, sed raro, in Aiace saepius spectatam adhibet, scilicet ut consentiat animo chorus cum protagonista [1]). Quamquam ne in illis quidem fabulis chorus suam fortunam omnino neglegit et Sophoclem exeunte aetate iterum pristinam viam ingressum esse primum quidem chorus in Philocteta ostendit cum non solum studio Philoctetae affectus sit sed etiam ipse ut comes Neoptolemi, agat [2]). Hac in fabula Sophocles chorum ad eius personam derexit qui primarum partium

---

tractare (v. 251 ἐγὼ μὲν ὦ παῖ καὶ τὸ σὸν σπεύδουσ' ἅμα καὶ τοὐμὸν αὐτῆς ἦλθον . . . v. 599 ἡμῖν τοῖς δρῶσι καὶ συνδρῶσιν . .) sed maximam partem non de se sed de Oreste, Electra eorumque fatis verba faciunt. Primo stasimo monent, ut fiduciam sui Electra sibi sumat. Mortis nuntium lugent (v. 764 φεῦ φεῦ) consolantur Electram v. 837, misericordia commotae sunt (v. 849, 864, 867). Cuius amoris secundum stasimum totum est (v. 1058), gaudio lacrimae eis moventur (v. 1231 γεγηθὼς ἕρπει δάκρυον ὀμμάτων ἄπο) et extremis versibus misericordiam explicant (v. 1508 . .) Vestigia fortunae ipsarum sane supersunt sed nullius momenti sunt ad conexum chori cum argumento.

1) Item solis animis fabulae interfuisse videtur chorus in fabula Καμίκιοι. Est quidem fabula de Daedali et Minois fortuna. Feminae ex proximis ministeriis personarum primarum actores sunt in fabulis Κρέουσα (fr. 327), Φαίδρα (fr. 619), Ναυσικάα quas fabulae factis interesse ut chorum in Euripidis Hippolyto conicias. (In quo numero fortasse ponendae sunt mulieres Mycenaeae quae in fabula, Ἀτρεύς in scaenam mittuntur). Haud perspicuum est Sophoclesne propria fortuna chorum in fabula Κολχίδες induerit pro amore, quo iure censemus eas Medeam amare.

2) Philoctetae casus, qui fabulae argumento sunt, choro ex Neoptolemi comitibus composito solum curae sunt. Commiseratur Philoctetam (v. 169 οἰκτίρω νιν ἔγωγε . . . v. 172, 175) eadem scilicet qua ceteri homines animi commotione (v. 317 κἀγὼ τοῖς ἀφιγμένοις ἴσα ξένοις ἐποικτίρειν σέ . . .). Secundum stasimum totum amorem chori erga Philoctetam prodit, qua de causa in extrema tragoedia id student, ut Philocteta sequatur Neoptolemum. Ceterum adeo sunt dediti et addicti Neoptolemo, ut quasi sub eius imperio agant (v. 1072 . . . ὅς ἂν αὐτὸς λέγῃ σοι ταὐτά σοι χἠμεῖς φάμεν).

actori contrarias partes agit[1]). Sed sane chorus non ipse laborat. Deinde in Oedipode Coloneo Sophocles chorum renovat. Nam hic, ut in Aiace vel Oedipode rege, sui ipsius causa chorus rebus gestis interest[2]).

Quibus expositis Sophoclem hac in re suum ingenium sequentem postremo eo redire cognoscimus unde exiit; quo fit, ut inde de tempore, quo ceteras fabulas docuerit nil colligas. Sed novum quiddam quod apud Aeschylum non inveneremus non comparuit[3]).

Transeamus ad Euripidem.

Hic quoque alia aetate aliter canticorum argumenta refert ad actiones, quas in scaena producit.

In tragoedia anni 438, Alcestide, chorus civium Pheraeorum non tangitur fortuna Admeti Alcestidisque uxoris, sed misericordiam exhibet ad quam homines hominum malis incitantur, quod quidem ipse dicit (v. 83,

---

1) Ut Aeschylus fortasse in Bacchis.

2) Summo cum Oedipodis studio in scaenam prodeunt (v. 117 s.), vituperant Oedipodem quod sacrum locum ingressus sit. Tum Oedipodem pariter dolent, miseranturque (v. 141 δεινὸς μὲν ὁρᾶν, v. 149, v. 161 πάμμορ', v. 185 πολύμοχθ' ἀλᾶτα, 185 ὦ τλᾶμον, 263) sed Oedipodem in terra sua manere non sinunt (v. 226, 233 ss.) quamquam persuaderi possunt, ut regem advocent. Cui cum Oedipus utilitati fore, si maneat, dicit, chorus non solum Oedipum miseratur (v. 461 ἐπάξιος μὲν Οἰδίπους ἀποικτίσαι) sed etiam quanto ille sibi emolumento sit intellegit v. 462 s.) Sua ipsius causa tutatur Oedipum (v. 491 s. et 653) et a Creonte defendit. Tum cum pugna committitur inter Athenienses Thebanosque, orant, ut bonum eventum habeat, cum ut ipsi pugnae interesse possint incassum optent. v. 1044 ss. fragorem caeli audiunt perterriti ne malum fiat sibi (1447, 63; 1482) quod nefastum senem receperint, quem moriturum precibus prosequuntur v. 1556 ss.

2) Hanc Sopboclis rationem depingere possumus choro in Θαμύρᾳ fabula. Musarum (quem e fragmento 181 colligas) quem induxit ut eis qui adversariorum partes agunt ut Aeschylus Furias in Εὐμενίσιν.

109 ss. χρὴ τῶν ἀγαθῶν διακναιομένων πένθειν ὅστις χρηστὸς ἀπ' ἀρχῆς νενόμισται). Itaque obiter tantum conectuntur; nam quam poeta personam choro attribuit eam non usurpat etsi raro significat regem suum gravi fortuna laborare (v. 213, 231, al.). Quamquam hac tam humana misericordia sic chorus tenetur, ut arte cum argumento coniunctus videatur (v. 480 μόνα, φίλα γυνή; v. 991 φίλα μὲν ὅτ' ἦν μεθ' ἡμῶν) sed — ut ante commemoravi — ab ipsa fortuna chorum Euripides a. 438 secludit[1]. Item in Medea chorus feminini generis communi studio cum argumento cohaeret. Num Medea a marito relinquitur quare mulierum omnium animi commoventur (v. 133 δύστανε . . κτλ.) et quocumque res se vertit, mulierum animi flectuntur. Quo cum studio chorus et Medeam et Creusam et liberos et Aegeum et Iasonem compellat. Et hic sincera humanitate commotus chorus cantica derigit ad casus quos in saena vidit Medeam subire, nam Medea a choro vocatur ξένη, βάρβαρος: solum sexus calamitatibus quasi vinculo conectuntur (v. 231, 823, al. . .).

Iam videmus chorum inde ab anno 438 usque ad annum 431 se separare ab argumento persona, sed cum eo cohaerere consensu animi.

Hippclyti et Phaedrae fortunae mulieres Troezeniae intersunt nullo ipsae casu afflictae sed idem genus affectuum prae se ferentes atque chorus Aliestidis. (v. 1462 κοινὸν τόδ' ἄχος πᾶσι πολίταις . . .) sed non per

---

1) Idem concludendum est Κρήσσαις cum ex eo quod eodem tempore docta est fabula, tum ex argumento, quod est stuprum quod committit filia regis poenaeque illius, quibus rebus chorus haud secus interesse potest quam varios animi affectus, quibus incitatur exponendo.

totam fabulam hac humanitate utuntur cum primo stasimo pro se ipsae preces effundant — quo semper chorus suas res separat a rebus eorum quorum fortuna in scaenam producitur — vim Amoris praedicant, ipso in aspectu mortis philosophorum ritu deas quae commissa sunt loquuntur (v. 813 βιαίως θανοῦσ' ἀνοσίῳ τε συμφορᾷ...) Sub finem autem ipsae quoque mori volunt. Sed etiam cum vident qua iniuria Hippolytus affectus sit, imprimis numen deorum considerant et cum mortem Hippolyti auribus accipiant magis prudentes quam commotae videntur.

Itaque usque ad annum 428 Euripides chorum pariter gaudentem et dolentem in argumento fabularum suarum collocat. Hic autem conexus in primis fabulis artior est quam in Hippolyto, qua in fabula chorus crebrius quo ipse sit loco demonstrat et magis mente quam animo instinctus res spectat. Fabulis autem huius aetatis proprium est quod chori non habent suas fortunas.

De fabularum insequentium annorum (428—415) aetate cum non constet, summatim tractemus quid habeant Andromacha, Heraclidae, Supplices, Hecuba, Hercules commune et qua re differant ab aliis.

Atque in Andromacha quidem Euripides chorum similem induxit quem anno 431 in Medea. Mulieres Pthioticas ancillae Troianae miseret quam misericordiam paucis solum locis profitentur. Ceteroquin non animo commovetur sed mente contemplatur. Sub finem demum quia amore et studio commovetur, artius implicatur argumento et hic propius accedit ad argumentum quam in initio quod, cum ipsorum regia domus ab interfecto-

ribus perculsa sit, ea res Pthioticis maiori curae est quam fortuna servae.

In Heraclidis chorus inde ab initio duplici ratione argumento implicatus est. Et animorum consensu et cogitatione quae quidem in personam huius chori bene quadrat. Quibus rebus efficitur, ut suis casibus affligatur, nam non iam in partem tantum gaudii vel doloris vocantur cives hi Athenienses sed ipsi illis afficiuntur[1]). Quod novum, cum in eis Euripidis fabulis[2]) quos adhuc tractavimus non insit, in hac perbene poeta miscuit has duas conectendi rationes quamquam — ut statim quae-

---

1) Herculis filii cum Iolao ab Atheniensibus petunt, ut se tueantur; itaque cum chorus omnes curas cogitationesque conferat in ea, quae in scaena sunt, impietatem prohibere studet (v. 101), misericordia commovetur (v. 129 lacrimat). Primo enim stasimo chorus sua fortuna uti apparet cum Sthenelus rex Argivorum Atheniensibus bellum illaturus sit et nuntius Athenienses ignominia affecerit. Huc accedit quod, ut Athenienses superiores decedant virgo immolatur, de qua re chorus dubitat (425, 461). Secundo stasimo pulcherrimo carmine Iolaum consolantur, tertio suam fortunam laudant. Cum pugna futura videatur pro patria preces fundunt (v. 755 μέλλω τᾶς πατρίδος γᾶς . . . κτλ., 766 Ζεῦς μοι σύμμαχος . . . οὐ φοβοῦμαι). Nuntio allato, adeo non de supplicibus Heraclidis sed de sua victoria verba faciunt, ut magna pars quarti stasimi de ipsius rebus sit: Athenarum patriae suae laudes canunt (v. 901 ss.) v. 910 demum Alcumenae fortunam attingunt.

2) Propria fortuna et animi consensu cum argumento cohaerere chorus videtur in fabulis: Ἐρεχθεύς: civium Atticorum chorus est (fr. 360 v. 50 et v. 369). Urbs oppugnatur et victoria non nisi immolata regis filia reportatur. Ita participes fiunt casuum. Bene accidit, quod fabulam in scaenam prodisse constat anno 421 (Wilamowitz Herakles 1909 p. 134). Item in fabula Andromeda chorus virginum (fr. 117) fortunae particeps est. Cum Andromeda pro omnibus patriaeque moriatur (fr. 120) ipsas mala pati et humanitate frui (fr. 118, 119 συνάλγησον . . .) verisimile est. Sed magis consensu animorum poetam usum esse ex illo ipso tempore quo eam fabulam in scaenam edidit, colligas (Schol. Ar. Ran. 53).

ratur, quomodo consociandae sint chori res cum rebus eius personae de qua fabula est — magnam partem choro fortuna ipsius non filiorum Herculis curae est. Sane cohaeret haec ipsius chori fortuna cum argumento cum ex eo oriatur. Et in Supplicibus cum ipsius chori qui constat e matribus heroum ad Thebas necatorum, fortuna argumentum sit fabulae, videmus quomodo factum sit, ut Euripides huius modi fabulam in scaenam produceret. Qui cum iam antea postulavisset ut chorus ipse casus communes perferret cum persona primarum partium, nunc hanc fabulam docet, quae est de casibus multorum hominum. Qua re poetam cognoscimus eo tendere unde Aeschylus exiit. At in hac quoque fabula unius hominis fortunam in scaenam mittit Euadnae qua cum chorus non nisi animorum consensu coniunctus est. Scilicet Euripidis ars ex eis fabulis initium duxit quae sunt de homine singulari, neque fieri posse, ut taedeat eum eiusmodi argumentorum, ex fabulis sequentium annorum elucebit. Alteram quoque fabulam, Hecubam, docuit, ubi chorus totus ipse in summa calamitate versatur; in qua miserrima fortuna Hecubae non nisi in parodo ei cordi est. In chori canticis ipsis suas ipsius res adversarias deplorat neque ad aliam personam animum intendit. Utriusque fortuna gravior est quam ut misericordiae alterius locum det[1]). Quo fit, ut chorus,

1) Primo stasimo de se et sua clade disserunt, patriam, propinquosque amissos conqueruntur; item secundo stasimo se ipsas lamentantur (v. 629/49) solanturque (— v. 656) et tertio stasimo (v. 905/51). — Misericordiae locus datur in vocibus interiectis sed hic quoque Hecubam et se ipsas commiserantur (v. 583 δεινόν τό πῆμα Πριαμίδαις ἐπέζεσε πόλει τ᾽ ἐμῇ; v. 693 δεινὰ πάσχομεν: v. 713. 721) Quin atiam Polymestoris atrocis calamitatis miseret eas (v. 1078,

quamquam per totam fere fabulam mala conqueritur, cum argumento quod est infortunium Hecubae non coniunctus videatur. Hic poeta attulit quod in Heraclidis bene vitaverat, quod neque apud Aeschylum neque apud Sophoclem invenimus.

In Hercule quaestionem de fortuna chori consocianda cum fortuna personae primarum partium denuo solvit eodem modo quo in Heraclidis; nam chorum Thebanorum familiae Herculis non solum amore deditum facit sed etiam communione fortunae; nam Thebae externi tyranni dicionis sunt. In parodo et primo stasimo ad utrumque verba derigit. Secundo et tertio stasimo de se loquitur[1]), deinde cum ipsius aerumnae caede tyranni terminentur usque ad extremum rebus quae in scaenam producuntur cum amore et studio interest.

Itaque hac aetate ingenii sui Euripidem videmus novam animo quaestionem concipere — quam unde sumpserit dici nequit, cum eam apud Aeschylum et Sophoclem inde ab a. 467 tractatam invenire potuerit. Euripides eam solvit eodem modo ac poetae seniores, praeterquam quod fabulam docuit in qua nil societatis interest inter chorum et actores. Quod sane neque feliciter inventum est et poetae superiores pro suo ingenio vitaverant. Euripides eius modi chorum iterum anno 415 induxit in fabula Τρῳάδες. Nam poeta de-

---

1085). Sub finem sane affirmant τῶν δεσποσύνων πειρασάμεναι μόχθων, sed melius de se et suis rebus malis dicerent, quas ipsae passae sunt.

1) Cum sint senes, qui pugnare nequeant iuventutis laudes canunt (v. 638 ss.), cum Lycus interemptus sit laetantur, quod tyrannus adventicius mortuus sit et pristina domus floreat (v. 769 ss., 781 ss., 793 ἐμὰν πόλιν, ἐμά τε τείχη . . .).

pingit fortunam captivarum Troianarum, quam singulis exemplis Hecubae, Polyxenae, Cassandrae, Andromachae, chori universi demonstrat, ita ut et chorus et personarum actores suas quisque fortunas habeat gravissimas nec chorus ad aliam personam animum intendat nisi in fine ad Andromacham.

Videmus igitur Euripidem hunc chorum non solum in initio, ut Hecubae chorum, sed etiam in fine cum ceteris personis in scaena partes agentibus coniungere, scilicet artiorem conexum reddere. Atque Euripidem id spectare tres aliae tragoediae nos docent, in quibus poetae bene contigit, ut quamquam choro suam fortunam tribuat tamen cum argumento coniungat.

In Iphigenia Taurica omnis fabula consumitur in Iphigeniae, Pyladis, Orestis sorte. Chorus primo solo animi consensu cum Iphigenia coniunctus est, quod e parodo ubi una cum Iphigenia Orestem conqueritur, apparet. Sed iam primo stasimo suam fortunam tractat (v. 450 ss.) Orestis adventu valde commovetur earum desiderium patriae. In secundo stasimo de sua dominaeque suae fortuna in tertio totum de se canit item ac quartum. Sub finem chorus actionis socius fit, cum iam antea (v. 1068) Iphigenia choro pollicita sit se facturam, ut revertantur, nam v. 1431 rex choro poenam minitatur. In exodo de se et de alterius fortuna disserunt. Videmus igitur chorum, initio solo animorum consensu rebus gestis interesse sua ipsius fortuna a rebus quae in scaenam mittuntur separatum, in fine et amore et patiendo aptum et quasi colligatum seriei rerum. Item in Electra conexus cum argumento ordine et tenore tragoediae artior fit. Primo chori amor haud ita fervidus est. Electrae autem miseria audita crescit

et cum Orestes et Electra se cognoscant, ipsae ut cives urbis fabulae partem accipiunt. Admodum artificiose eodem modo coniunctus est chorus in Ione; quem poeta in scaenam producit minime curiosum rerum in scaena gerendarum, per sa ipsum res agit, cupidissimus rerum novarum. Primo stasimo iam commotus est Creusae fortuna ut mulieris et reginae suae. Secundo stasimo iterum commotas esse animadvertimus et ut cives Atticae de domus regiae rebus cogitant v. 714 ss., Idemque spectat tertium stasimum quod de se ipsae cantant. Huc accedit quod in fine Xuthus mortem choro minatur, quo fit ut timeat, ne eandem fortunam quam regina patiatur.

His fabulis chorus suam agit fortunam et particeps est eius fortunae quae ex argumento ipso ei accidit ita, ut in fine socii sint casuum qui accidunt personis primarum partium. Id reperimus etiam in fabula anni 412, Helena, cuius chorus in fine mori mavult quam dominam relinquere (v. 1639 ss.), ceterum autem solo cum animi consensu[1]) una cum Helena in scaenam prodit et in fine tragoediae se devoturum esse eum ex admodum frigido amore non exspectes. Quo fit, ut haud mirabile videatur, si chorus Phoenissarum non alio modo quam hac humanitate cum argumento coniunctus est[2]) et hic conexus non nisi in initio et in fine apparet[3]).

---

1) V. 327 συνεισελθεῖν . . . v. 328 συμπυθέσθαι . . . v. 329 γυναῖκα γὰρ δὴ συμπονεῖν γυναικί χρή . . . κτλ.

2) In fabula Ἀλκμέων ὁ διὰ Κορίνθου ex Corinthiacis mulieribus chorus constat (fr. 74) qui non nisi animis cum persona primaria coniunctus esse videtur cum choro ξένος (fr. 74 v. 2) sit. Item ab argumento longior remotus videtur chorus persona sua in fabula

Contra in Oreste fabula anno 408 docta et constanter conectitur chorus studio et amore cum fabulae tenore et in fine chorum participem fortunae personarum primarum partium facit poeta.

Quibus fabulis perlustratis videmus studium et industriam poetae huic quaestioni impensum. Initio consensu animorum conectere chorum cum actione satis habet, deinde chorum ut ipsum pressum miseria in scaenam producit et in singulis fabulis recentissimo quoque invento admirationem movet quamquam inventum ipsum non semper laudes. Quod genus, quamquam variavit, tantum una et ea haud bona inventione scilicet ab Aeschylo et Sophocle differt. Neque mirum est, quod deinde diversis chori generibus isdem temporibus utitur id quod ex fabulis postremis apparet; nam in Bacchis chorus plane suam habet fortunam. Habet hic chorus idem genus quod fortasse Aeschyli Ἠδωνοί, qui uni personae addictus personae primarum partium adversarias partes agit; neque neges hunc chorum commune aliquid habere cum choro Furiarum[1]) cum in fine

Φιλοκτήτης. Chorus Lemniorum est quorum nil interest qualis sit fortuna Philoctetae quod iam inde apparet, quod in initio fabulae se excusant (Dio Chrysost. Or. 52). Neque in Phaetonte fabula chorus famularum (fr. 773 v. 10 ss.) persona sua accedit ad Clymenam et Meropem, qui ut parentes imprimis infortunio correpti videntur. Cum eis sensisse chorum apparet ex v. 55 b. Eodem modo rebus Ἀντιόπη fabulae interest chorus senum Thebanorum quod quidem haud scio an de mulierum choris fabularum Ἰνώ (p. 399 N) et Δανάη (Poll. IV, 111) dicere possimus.

3) V. 216 κλεινῶν Ἀγηνοριδᾶν ὁμογενεῖς ἐπὶ . . . v. 242 κοινὰ γὰρ φίλων ἄχη, κοινὰ δ' εἴ τι πείσεται . . . v. 291 ὦ συγγένεια τῶν Ἀγήνορος τέκνων ἐμῶν τυράννων et v. 1284 ss, 1350 s. v. 1425 valde lugent.

1) In fabula Κρῆτες chorus Διὸς μύσται (fr. 472 v. 6) sunt, qui suas partes agentes Pasiphaae non amici esse videntur et idem adiuncti personae cuidam primariae in scenam prodeunt.

demum partibus exactis et Pentheo mortuo ira mulierum in misericordiam commutetur (v. 1162, 1200, 1327). At in Iphigenia in Aulide chorus omnino extra argumentum positus est. Virgines Chalcidicae cupiditate visendi allicitae sola communi illa humanitate rebus in scaena gestis intersunt (v. 469 s. κἀγὼ κατῴκτειρ', ὡς γυναῖκα δεῖ ξένην[1]), ὑπὲρ τυράννων συμφορᾶν καταστενεῖν, v. 1336 οἰκτείρω . . .). Huiusmodi chorum iam in Phoenissis invenimus ut haud iniuria poetam dicas studuisse, ut interdum chorum eis ipsis quas ei tribuit personis ab ordine et serie fabulae eximeret. Sed neque Euripides ad tantam audaciam processit neque minores tragici eo progressi esse videntur quamquam ex horum fragmentis vix quicquam colligi potest. Tragicos autem poetas insequentium annorum de via a tribus magnis poetis praecedentibus patefacta non deflexisse haud spernendum documentum est Ῥῆσος. Chorus vigiliarum Troicorum ut chorus in Sophoclis Aiace vel in Euripidis Heraclidis medius est in rebus quae aguntur. Nam ipse casibus affligitur et misericordia studioque erga Rhesum utitur[2]).

---

1) Quae quidem chori persona displicuisse videtur Ennio, sed videas quaeso p. 18[3].

2) Vigiliarum patria oppugnatur, pro Dalone preces fundunt primo stasimo et quanto odio sibi sit Menelaus praedicant. Secundo stasimo Rhesum salutant, qui quam suo tempore et amice venerit ex v. 344 ss. apparet (cf. v. 357, v. 367); Rhesus Troianorum animos auget (v. 454). Pulcherrimo illo carmine (v. 527 ss.) excubiae ipsarum partes agunt. Ulixem persequuntur (v. 674 ss.) et de se ut malis custodibus timent v. 722 ss. Iure eos metuisse apparet ex quinto stasimo v. 820 ss. Mortis Rhesi allato nuntio patriam lugent (v. 882 ss.) et una cum matre Rhesi maerent (v. 904). In exodo sibi victoriam precantur a deo. Eiusdem modi chorus nunc (Ox. Pap. IX. 1912, p. 86 ss. no. 1175) apparet in fabula quae est de Eurypylo. Composuisse videtur eum poeta ex Troadibus quae cum Eurypylo studio et sua fortuna — chori patriam defendit — coniunctae sunt.

Quibus expositis vidimus in illa aetate tragoediarum cuius exemplaria perscrutari possumus non modo conexum chori cum argumento fabulae nunquam amitti sed etiam semper poetis curae fuisse; vidimus sua quemque poetam inventa usurpasse quibus artius chorum cum argumento colligere vel longius ab eo removeret; vidimus maximam partem iam Aeschylum tragoediam ad illud fastigium perduxisse quo elatam exeunte saeculo quinto invenimus. Tamen exeunte demum saeculo quinto in singulis Euripidis tragoediis fortasse carmina iure embolia nominata invenimus, quae Aristoteles tradit ab Agathone in tragoediam introducta esse. Certe quod in Phoenissis, scilicet in fabula cuius chorus persona, quam agendam ei tradit poeta, ab argumento seiungitur, carmina ab argumento soluta sunt iam antiqui castigabant[1]). Sed etiam in eis fabulis, ubi chorus et sua ipsius fortuna et sua humanitate argumento inest legimus carmina admodum soluta[2]). Inde apparet eam rationem qua fit ut chorus carminibus suis in tragoedia non coniunctus sit cum argumento, non ex eo oriri quod propter personam ab eo solutus sit, sed aliam causam quaerendam esse. Sane ea ratio ex canticorum chori natura ipsa nata est, id quod probare non possumus nisi cantica ipsa examinaverimus. Sed priusquam huc nos vertamus, quam nobis proposuimus, etiam in aliis artis dramaticae generibus quaestionem instituamus.

---

1) Phoenissarum tertium stasimum cf. schol. 1019 et 1053; accedit schol. Aristoph. Acharn. v. 443.

2) Iphigeniae in Tauris v. 1234 ss., Helenae v. 1301 ss. utaris exemplis.

II.

Alterum genus artis dramaticae, in quo poetae choro et histrionibus utuntur, fabula Satyrica male nobis traditum est; nam unum tantum exemplar integrum exstat Euripidis Cyclops, quo nunc accedit pars fabulae Sophoclis quae inscribitur Ἰχνευταί. Sed his exemplis discimus poetas eodem modo operam dedisse, ut chorum cum argumento coniungerent atque in tragoediis. Cum, quibus personis poeta chorum agendum committeret dubium esse non posset, argumentum fabulae inveniendum erat huic personae; itaque, ut in tragoedia poetae chorum sua fata habentem faciunt, ita in his fabulis sua fortuna utentem inducunt. Atque in Sophoclis fabulae Ἰχνευταί priore parte chorus satyrorum suam ipsorum rem agunt cum a partibus Apollinis stant [1]), nam Apollo eis praeclarissima dona, pecuniam et libertatem promiserat [2]). Alteri parti, altercationi Apollinis et Mercurii interfuisse videntur eodem modo atque chori Acharnensium vel Equitum alteri parti Aristophanis fabularum intersunt, scilicet studio suo [3]) cum nunc Apollo ipse suam rem agat. Sed utri parti faverint pro certo affirmari non potest cum quam mobiles sint animi satyrorum ex Euripidis fabula eluceat. Item Euripides in Cyclope admodum ingeniose coniunxit sortem Satyrorum cum fortuna unius personae, Ulixis. Silenus iter in Siciliam cum filiis suis faciens a Polyphemo captus est. Idem

---

1) Oxyr. Pap. IX. 1912, 1174, 2. Col. v. 15 σοι Φοῖβ' Ἄπολλον . . . εὐεργέτης θέλων γενέσθαι.

2) Ib. Col. VI v. 24 ss. πλοῦτον δὲ χρυσόφαντον ἐξαφίετε, ὅν Φοῖβος ὑμῖν . . . [α]νεδέξατο καὶ τὴν ἐλευθέρωσιν . . . κτλ.

3) Id quod iam v. 15 col. II indicat σοὶ Φᾶβ . . . προσφιλὴς εὐεργέτης θέλων γενέσθαι.

cum Ulixi accidisset uterque id agit ut se in libertatem vindicet[1]). Chorus ergo eadem fortuna et simili studio consilioque cum aliis histrionibus coniunctus, id quod nobis iam in tragoedia ocurrit, alteras partes fabulae suscipit. Ulixes, chori rem agit, quod Aristophanis chori genus principale est.

Scriptores fabulae satyricae eadem ratione utentes atque aliarum fabularum dramaticarum poetas deprehendimus, sed quomodo progredi perrexerint[2]) nescimus quod et exemplaria desunt nec fragmenta quicquam docent, cum e chori persona nil de conexu concludendum sit.

III.

Differt comoedia a tragoedia et fabula satyrica praecipua de causa. Poeta enim tragicus docuit fabulam cuius actionem stricte et accurate ad argumentum rettulit. Res in scaenam prolatae ita aguntur, ut olim gestas esse poeta animo fingebat, homines in scaenam producti revera ei sunt, quorum personas agunt. At poetae comoediarum semper sibi eam libertatem vindicabant, qua usi multis locis argumenti leges neglexe-

1) Euripides hic artificiosissime choro ut instrumento artis utebatur. Quem primum in scenam inducit sua fortuna oppressum; remoti a voluptatibus pastores sunt et laboriosi famuli Cyclopis. Deinde alteras partes suscipit adversus Ulixem cibum petentem. Tum, Polyphemo adveniente cum eo faciunt contra Ulixem. Postremo demum, cum Ulixes se chorum seque ipsum servaturum pollicitus est, eius signa sequuntur et suas res agunt. Hac una fabula edocemur de variis chori generibus in fabula satyrica perspicuis.

2) Nam Cyclopam prioribus annis aetatis suae in scaenam ab Euripide missum esse constat itemque fabulam Ἰχνευταί priorum annorum Sophoclis esse recte monuit U. Wilamowitz, Die Spürhunde des Soph. 1913 Teubner p. 14ss. et Neue Jahrbücher 1912 VII fasc.

runt. Nam cum comoedia ex eis ludis orta sit, quibus veteres Graeci ludibria proferre concedebant, neque ulla eiusmodi cavillatio vim haberet nisi ea, quae res eorum hominum spectaret qui derisionibus intersint, semper comoedia praesens audientium tempus spectabat. Per fabulas earumque personas deridere finiebant quo factum est, ut et in dialogo et in choro multis locis res praesentis temporis ludibrio fierent. Praesertim autem in ea parte chori, quam παράβασιν nominabant veteres concedebant poetis chori personam neglegere. Quae cum ita sint, tamen poeta comicus idem ac poeta tragicus efficere studet; nam cum uterque fabulam in scaenam proferat, qua in re histrionibus et choro utitur, ipsi quoque poetae comici quaerebant, quomodo tot homines, qui ut chorus in scaenam producendi essent, cum argumentis fabularum coniungerent[1]). Cum temporum iniquitate factum sit ut quomodo prisca comoedia se haberet, ex integris exemplaribus perspicere non possimus, accedendum est nobis ad Aristophanis exempla, quae quidem adhuc exstant.

Atque in vetustissima quae integra ad nos pervenit comoedia scripta anno 425, in Acharnensibus Aristophanes hoc modo apparet. Dicaeopolis, pacem seiunctus reliquis Acharnensibus sibi ipsi facere vult cum Lacedaemoniis. Qua in re Acharnenses, ex quibus chorus constat summo studio intersunt; nam proditor est ille et ut nefarius petendus (v. 290 ss.) quo fit, ut chorus necessario conexu coniunctus sit cum argumento prioris

---

1) Quod Aristophanem quoque quaesivisse neque neglexisse artis legem, secundum quem poetae cuiusque opus ut unum et simplex compositum esse debet, inde iam elucet, quod avium chorum parabasin e persona sua canentem fecit.

partis fabulae scilicet pacis faciendae et defendendae. Rebus autem alterius partis fabulae, mercato, pompae Dicaeopolidis, Lamachi bello, vix aliter interest ac quilibet spectatorum neque aliter fieri potest quin maximam partem amore suo et studio cum rebus in scena gestis coniunctus sit. Videmus nil novi in hoc fabularum genere sed discimus Aristophanis artem qua primis temporibus usus chorum ad societatem actionis vocaverit. Item fabula insequentis anni, Equites, chorum habet, qui ipse ut actor partes defendit. Maxime chori interest uter aemulorum dominum Populum sibi conciliet[1]). Et per totam fabulam chorus velut lege personae rebus interest. Sed hic primum chorum eum invenimus, qui non tam agendo interest fabulae quam audiendo propterea, quod qui adversariorum partes agunt pro choro interveniunt quibuscum chorus favoris vinculo coniunctus est[2]). Iam videmus qua via chori persona ex fabulae argumento eximi possit, sed non exspectes Aristophanem tam celeriter usque ad finem processurum ut in proxima fabula, in Nubibus fecit. In qua fabula chorus et persona et usu poetae per totam fabulam sui iuris est sine ira et studio suas partes agens. Arcessitur et oratur, ut dona praebeat, quibus oblatis fabulam audit et videt neque eventu ipse tangitur[3]). Aristophanem ipsum haud contentum fuisse hoc chori genere fabula anni 422, Vespae, docet. Nam hic rursus chorum cum argumento

1) Chorus equitum gravissimis conviciis Populi famulum increpat v. 247 ss. 258, cum botulario facit v. 269 ss., 304 ss. 319, botularium adhortatur v. 397, v. 451 et al., laudat v. 421 s. al., Populi ipsius rebus favent v. 1254 ss. al.

2) V. 689.

3) Strepsiades quomodo aere alieno liberetur nescit. Chorus ut numen adest quod ei vires ad id consequendum largitur.

arte coniunxit studii vinculo eum colligans cum eis personis quae adversariorum partes agunt. Philocleon, sodalis ex ipsorum numero in domo sua captus tenetur. Quare cum se ipsi petitos suspicentur ipsi actoris partes agunt[1]). Deinde apud eos iudices lis indicatur, qua re intersunt quasi suae res agantur. Sub finem solo studio coniuncti sunt. Hic chorus initio eiusdem modi est atque chorus Acharnensium, deinde Philocleo pro choro rem agit, tum, discrimine soluto, iterum easdem partes agit, quas agit in fine chorus Acharnensium. Chorus Vesparum ergo differt a choro Acharnensium eo, quod nunc actor pro choro rem agit. Item in Pace actor causam chori defendit. Pacem effodi chori Atheniensium non minus interest quam Atheniensis Trygaei. In parte altera (bona Trygaei fortuna, res cum opificibus actae, nuptiae Trygaei) solito Aristophanis more ut spectator in scaenam prodit[2]).

---

1) Sunt quidem ξυνδικασταί (v. 215, 266), eadem facinora iuvenilia commiserant (v. 354 ss.). Philocleo eos φίλους (v. 335) nominat; docet v. 372 quemadmodum cum eo sentiant; ipsi cum defendere volunt (v. 383 ss.). Tum, quasi ipsi petiti clamant de iure violato (v. 417 ss.) et v. 463 ss. ne τυραννίς fiat conclamant. Chori quoque res est de qua certatur cum periculum sit ne iuvenes novas res inducant. Περὶ ἁπάντων γὰρ μέγας ἀγὼν (v. 534). Summo studio intersunt controversiae (v. 631 ss., 636 ss.). In fine litis precibus suis item demonstrant rem se ipsos spectare v. 872 ἅπασιν ἡμῖν ἁρμόσαι et v. 885 ξυνευχόμεσθα. Renovato autem Philocleone novum statum rerum videntes filium beatum dicunt (v. 1450 s.).

2) V. 292 νῦν ἐστιν ἡμῖν, ὦνδρες Ἕλληνες, καλόν . . .
ἐξελκύσαι τὴν πᾶσιν Εἰρήνην φίλην . . .

v. 300 ἡμῖν; communes preces mittunt v. 384 ss., v. 439; Trygaeus magis dux chori, quam actor est v. 305 πρὸς τάδ' ἡμῖν . . . φράζε κἀρχιτεκτόνει. Exsultat gaudio chorus v. 321, 551, 556. Bonae Trygaei fortunae interest laudando v. 856, 909, 913 et nuptias humanis verbis prosequitur v. 1332.

Ad id genus chori, quo eodem studio interest rebus atque histrio ipse inde ab eo tempore Aristophanes omnem fabularum componendarum artem derigit. Nam chorus Avium idem atque Euelpides et Pithetaerus spectant praeterquam quod in altera parte fabulae in scaena adsunt vel ut spectatores quamquam in hac quoque parte ipsarum res aguntur[1]). In Lysistrata chorus mulierum easdem partes agit ac Lysistrata, pacem enim cum Lacedaemoniis faciendam curat. Quapropter necessario studio rebus huius fabulae per totum tempus interest eodem, quo chorus Pacis vel Avium. In Thesmophoriazusis ipsius mulierum chori res gestae argumentum fabulae sunt[2]), oderunt enim Euripidem. Coetu facto Mnesilochus deprehenditur. Altera parte fabulae, qua Mnesilochus sibi libertatem vindicare conatur, conexus cum argumento neglegitur adeo ut chorus suis rebus modo ut spectator intersit. Hoc clarum exemplum est, quo demonstratur personam chori minoris momenti esse primum in ea parte fabulae, quae chori παράβασιν sequitur, in qua scilicet semper conexus laxior erat. Ita qua via processerit Aristophanes in arte haec fabula docet; nam a. 405 in Ranis chorus omnino

---

1) Epops Atheniensibus illis duobus obsecuturus est εἰ ξυνδοκοίη τοῖσιν ἄλλοις ὀρνέοις (v. 197). Rerum statu exposito chorus se et progeniem suam hominibus tradit (v. 539 ss.) consiliumque probat (v. 627). In altera parte sacra fieri consentiunt (συνθέλω v. 851 ss.) neque quidquid in urbe accidit a se alienum putant (cf. v. 1189 πρὸς ἐμὲ καὶ θεοὺς; v. 1262 ss. ipsi deis et hominibus ut per urbem proficiscantur permittunt et gaudent quod homines urbem tanti faciant v. 1313).

2) In contionem conveniunt, audiunt orationes laudantes vel reprehendentes singulas (v. 434 ss., 459 ss.), quaerunt hominem qui nefarie invaserit (v. 655 ss.), perterritae sunt infante mulieris rapto v. 699 ss.

nullo conexu cum argumento facto in scaenam prodit[1]) et eodem deflectitur ad ultimum, quo iam in Nubibus tetenderat. At post in Ecclesiazusis poetam senem rursum si possit chorum cum argumento ante conectere conantem videmus, sed inventione solum inserit eum, cum, quo longius fabula procedit eo magis chorum in singulas personas distrahat quarum rebus chorus quomodo socius adiunctus fuerit nescimus demptis carminibus[2]). Tum chorum non solum in actione, sed etiam in argumento loco depulsum esse fabula anni 388 Plutus testis est. Nam Chorus argricolarum, quamquam ea de causa in scaenam vocatus est, quae conexum efficere possit artiorem fortunae suae, tamen cum studio solo rebus in scaena gestis ad se ipsum non pertinentibus interest[3]).

Hanc Aristophanis rationem chori usurpandi perspicientibus elucet poetam primo id studuisse ut chorus cum argumento coniunctus esset. Quod poeta veluti legem in prioribus omnium fabularum partibus, poste-

1) Bacchus ad inferos descendit ut Euripidem arcessat. Chorus gaudet carminibus et ludis, quae exercent ei, qui sacris initiati sunt. Cum Bacchus et servus vestimenta mutant, sententiis seriis adest chorus (v. 534 ss.) Xanthumque adhortatur (v. 590). Placando et adhortando (v. 922) interest orationum certamini, diiudicans timide (v. 1099 ss.) et timens Aeschylo (v. 1251) quem ad extremum celebrant et eius laudes cantantes ad superos prosequuntur (v. 1482, 1528).

2) In initio ipse res agit, contionem, tum controversiae Blepyri Praxagoraeque spectator est praeterquam quod admonet (ut v. 571 ss.).

3) Accersuntur ut ipsi divites fiant (v. 226 s.); sunt quidem δεσπότῃ ταὐτὸν θυμὸν φαγόντες (v. 253). Valde gaudent v. 288 ss. Cum ad Chremylum adveniunt, statim e choro Blepsidemus separatur, qui eodem modo ac chorus rebus interest (v. 333 ss.) quo fit ut orationibus fabulae gaudens tantum vel laudans interrit.

rioribus in partibus primum quidem minus accurate observat quod iam ex Acharnensibus cognosci potest. Haec libertas comoediae semper fuit, quae actionem inde ab origine sine constantia fingebat et chorum et histriones seiungebat. Quod utrumque ut corrigeret, Aristophanem studere vidimus. Nam insequentibus annis in altera quoque parte fabulae chorum ex animo res in scaenam missas prosequentem facit. Singularis est fabula Nubium neque intellegi potest qui factum sit, ut huiusmodi chorum inveniret. Inventio sane mira est et ad animos spectantium commovendos unice apta, nec defuerint exempla huiusmodi generis chori. In comoediis recentissimi temporis neglegit legem illam, quam de conexu invenimus. Nam Ranis nullus conexus neque mystis, Ecclesiazusis non nisi in priore parte, Pluti chorus per totam fabulam illo solo conexu cum argumento cohaeret quo in prioribus fabulis, scilicet eo studio quo quilibet homines afficerentur illis casibus. Quamquam dubium est, quid de extrema Aristophanis via sentiamus cum multorum annorum exemplaria desint tamen pro certo dici potest Aristophanem chorum iterum ab argumento secernere. Quod ad genera chori Aristophanei attinet, statuendum est poetam primum chorum unam factionem agentium induxisse. Sed iam in Equitibus praeter chorum unum ex histrionibus producit, qui cum in eisdem casibus implicetur quibus chorus hunc non modo sententiis sed etiam commotione animi imminuit. Hac inventione utitur inde ab Equitibus usque ad Lysistratam (exceptis Nubibus) scilicet chorus, multitudo hominum a singulari histrione recedit. Sed quo magis provehitur aetate poeta eo latiore spatio interposito dirimit chorum; nam in altera parte Thes-

mophoriazusarum haec communio fortunae neglegitur, in Ranis omnino omittitur, in Ecclesiazusis singularum de illa multitudine personarum casus subdantur, in Pluto item omittitur. Chorus ergo cum partes revera agere desinat, alii in eius locum succedunt.

Manifestum est nos, qua via ac ratione chorus ab argumento semotus sit non nisi ex integris fabulis perspicere posse, vel ex argumentis copiose enarratis. Nam cum tot casus, tot homines in comicam scaenam prodire soleant, ne ex nominibus quidem solis aut paucis fragmentis quicquam colligas, quod ad chorum argumentumque attineat. Atque cum ex Aristophanis integris fabulis nonulla colligi liceat, ex fragmentis perpauca efficiuntur. Atque cum Aristophanes per omne fabularum componendarum tempus fabulas a chori personis nominaverit, quamquam choro partes in initio vitae alias tribuit atque in fine, e titulis solis nihil de sententia concludi potest. Certe ex eo, quod in integris eis fabulis, quibus a choro titulum indidit, chorus suas partes agit, rebus ut s u i s interest, colligi potest in eis fabulis, quae non nisi fragmentis exstant sed eeadem a choro titulum ceperunt, chorum cum argumento arte coniunctum fuisse. Sane eximendi sunt ei chori, qui miris personis induti prodeunt, ut Nubes vel Ranae, quamquam hic quoque Avium chorus diligentiam nostram admonet. Id quod ex integris fabulis didicimus chorum a vetere poeta ex argumento pelli, si confirmari putes, titulos truncorum fabularum arcessere licet, qui idem probare videntur. Nam Δαιταλεῖς, Γεωργοί, Βαβυλώνιοι prioris aetatis sunt cum fabulas Αἰολοσίκων, Κώκαλος, Γηρυτάδης, Ἀμφιάραος suprema Aristophanem aetate scripsisse constet. Ergo de singulis comoediis nil, de com-

ponendi genere autem fortasse aliquid efficere licet e fragmentis.

Si per similitudinem Aristophanis ceterorum fabulas et antecedentium et insequentium poetarum putare licet, eodem pervenimus.

Ex Cratini fabularum titulis praeter sex omnes sunt a persona chori sumpti, quarum sex fabularum Πυτίνη ultima est. Quin etiam ex eius fragmentis colligi potest iam Cratinum iuxta chorum personam, eadem agentem atque chorus induxisse, ut Solo fortasse in fabula Νόμοι, Plutus in Πλούτοις, Argus vel Lynceus in Πανόπταις[1]). Cratetis Hermippi Teleclidis fabulae maximam partem a choro titulum acceperunt. Unde fit ut conicias chorum a poetis Cratini et Cratetis aequalibus cum argumento aliquam partem conexum fuisse. Aristophanis aequales maiores natu idem atque Aristophanes ipse nos docent. Eupolidis fragmentis nobis 13 tituli servati sunt, quibus a chori persona nomen ductum est, quinque titulo aliunde sumpto. Apud eum iam et chorum et personam quoque videmus in scaenam produci quae eodem spectant, quo chorus[2]). Phrynichi 6 titulos a choro petitos et 5 aliunde sumptos habemus. In recentiorum poetarum fragmentis iam plures tituli a choro ducti quam ab histrionibus vel aliunde exstant. Nam Platonis habemus 11 titulos qui spectant ad chorum et 18 qui alio pertinent, Amipsiae 3 ad chorum, ad histrionem 4 pertinentes, Archippi 1 ad chorum, ad histrionem

---

1) De titulo Ὀδυσσῆς cf. Wilamowitz, Einleitung in d. att. Tragödie p. 55[14].

2) Ἀστράτευτοι ἢ Ἀνδρόγυναι cf. frg. 5 M. Δῆμοι fr. 19 et 72. Πόλεις item atque Avium Aristophanis, nomina singularum urbium a duabus personis praedicantur.

6 pertinentes, Strattitis 5 ad chorum, 13 ad histrionem, Theopompi 5 ad chorum ad histrionem 14 pertinentes tituli exstant, Alcaei iam omnino desunt tituli ad chorum pertinentes.

Eandem ergo rationem quam Aristophanes poeta, omnis poetarum ars secuta est nam et poetae mediae et novae comoediae praeter choricos titulos imprimis diligunt eos quos aliunde de argumento sumunt[1]).

At singuli poetae mediae et novae comoediae aetatis videntur iterum sibi licentiam vindicavisse chorum cum argumento vel laxe vel omnino non coniunctum in scaenam producere[2]). Nam quamquam confirmari non potest in Menandri Disceptantibus chorum ex Charisii convivis compositum esse[3]) tamen, dum absunt integra exemplaria, res chori ad exemplum Aristophanis Pluti fingere et versum 195 K[1] conferre licet.

Sane huiusmodi chori non nisi studio admodum extraneo cum argumento coniuncti erant. Finit comoedia eodem modo, quo incepit, nam eum chorum invenimus qui omnino non cum argumento coniunctus est, chorum ebriorum hominum in Alexidis Κουρίδι, in Menandri Σαμίᾳ, in fragmento Iernstedti[4]). Quomodo autem Graeci et Latini poetae chori cantica compensaverint a Fr. Leo audire gaudebis[5]).

1) In Antiphanis fragmentis 11 tituli ad chorum 128 alio spectant, in Alexidis 15 ad chorum, 124 alio, in Philemonis 7 ad chorum 51 alio, in Menandri 4 ad chorum, 85 alio, in Diphili 3 ad chorum 216 alio spectant.

2) Conf. Leo, Plautinische Forschungen[2] 1912 p. 227 ann. 3.

3) Körte Hermes 43 p. 299 ss.; cuius sententiam oppugnat Bethe, Ber. d. S. Ges. d. W. 1908 p. 212.

4) Accedit Plauti fabula Bacchides (Leo Hermes 46 p. 292 ss.), cuius v. 107 eiusmodi chorum indicat.

5) Plautinische Forschungen 1912[2] p. 227 anm. 3 et libros ibi citatos.

IV.

Nunc redeamus ad tragoedias, quarum Graeci et Latini poetae semper chorum in scaenam producebant.

Inde a Rheso usque ad eum poetam cuius plures integras tragoedias tenemus, Senecam, longa via est, cuius miliaria etsi non plane desunt, tamen admodum raro exstant. Hoc autem dici potest, poetas huius aetatis secutos esse exemplum trium magnorum Graecorum auctorum.

Eundem atque Euripidis Medea chorum habet fabula de Medea cuius fragmenta exstant in Archiv für Pap. Forsch. III. 1 ss. et in Philol. LXX 1911 p. 492 ss., scilicet Corinthiacae mulieres[1]) intersunt rebus Medeae.

Item Romani poetae tragici hac in re secuti sunt Graecorum auctorum exempla, quae sua cum licentia vertebant[2]). Ante omnia dicendum est hos poetas certa et definita persona indutum chorum in scaenam duxisse[3]), quin etiam Ennius eam licentiam in Iphigenia sibi vindicavit ut chorum Euripidis, exempli sui, mulierum compensaret choro militum, qua persona effecit ut chorus artius cum argumento colligatus sit quam chorus Euripidis; nec dici potest Ennium id ipsum spectantem chori personam commutasse[4]) sed bene quadrat in ra-

---

1) γ]υναῖκες αἱ Κορίνθιον πέδον . . . cfr. Crönert, Arch. f. Pap. Forsch. p. 2 v. 35.

2) Cf. Leo, De Tragoedia Romana Gott. 1910 p. 10, 12.

3) Naevius in Lycurgo Baccharum chorum admisit frg. 9; Ennius in Medea mulieres Corinthiacas, in Thyeste hospites Thyestis, in Hectoris lytris Myrmidonum vigiles; Pacuvius in niptris familiares Ulixis, in Chryse cives; Accius in Telepho Myrmidones. Conferas titulos ut Enni Eumenides vel Acci Myrmidones, Bacchas, Hellenes.

4) Cuius exemplum secutus sit cf. Leo l. s. c. p. 15.

tionem Rhesi vel Eurypyli[1]) quorum poetae choros artius cum argumento coniungunt quam Euripides in novissimis suis fabulis solet. Cum hi Latini poetae in universum choros strenue cum argumentis coniunctos admittant — quemadmodum quidem nos hoc ex fragmentis diiudicare possumus[2]) —, Seneca hac in re propriam rationem sequebatur.

Atque primum quidem Seneca Graecorum poetarum, quorum fabulis usus est, rationem chori cum argumento coniungendi sequebatur in Troadibus et Oedipode. Nam ut Euripides in Troadibus chorum communione fortunae cum histrionibus coniunxit ita Seneca chorum et histriones, Hecubam et Andromacham una eadem fortuna oppressos inducit. Troia enim capta est et carmina chori miserias ipsius et Hecubae resonant[3]). Item in Senecae Oedipode chorus ut Sophocleus eadem fortuna vexatur, qua rex[4]), nam pestilentia in urbem Thebanorum incidit. Sed brevi ipsorum fortuna neglecta secundo, tertio, quarto stasimo Oedipodis sortem non modo animis commoti sed cogitationibus et verbis piis tractant[5]),

1) Cfr. p. 29.

2) Iam Pacuvius tres fabulas docuit, quarum chorum Baccharum personam agentem fecit!

3) Hecuba chorum alloquitur v. 63 ... turba captiva mea: et v. 83 fidae casus comites. — Quo spectet primum stasimum non satis apparet, secundo de se et sub finem (v. 858 ss.) de Hecubae fortuna disserunt. Item in tertio de se et Hecuba canunt (v. 1011 s. lenius luctus lacrimaeque mordent turba quas fletu similis frequentat).

4) Oed. v. 72 ... praecurram ut prior patriam ruentem ... Chor. v. 110 s. ... Occidis ... urbe cum tota ... v. 124 ... Stirpis invictae genus interimus, labimur.

5) V. 724 „veteres deum irae“ enumerant Thebas petentes et v. 909 de rebus in scena gestis docent „quicquid excessit modum, pendet instabili loco.“

cum de se et suis fatis iam non verba faciant et personae ratione minus habita chorus sententias vulgares proferat. Solo in initio vim habet persona, quod discrepat ab exemplo Sophoclis[1]) et iam eam rationem Senecae indicat, qua usus poeta, cum chorum persona quadam indutum in scenam producat, argumentis quae ab eius persona repeti possint non utitur sed chorum admodum frigide in actione cum cura animi et mentis versantem facit.

Quod quidem exstat in Hercule furente, cuius chorus sunt viri Thebani, quorum urbs ab hostibus oppressa (cf. v. 254 ss. 258 quis satis Thebas fleat) ab Hercule liberatur. Facile est cognitu quanti momenti apud eos esse debeat res quae in scena aguntur sed plane neglecta est ea fortuna nisi forte v. 875 et 891 eo spectant. Quam fortunam cum neglegat, personam chori neglegit et revera carmina magis persona carenti quam persona induto conveniunt. Hercules a choro habetur „Alcides (v. 186, 1061), Alcumena genitus (v. 527) nunquam vocatur „amice Hercules“, vel tale quicquam. Sub finem demum animi affectibus cum argumento cohaeret[2]). Eodem modo chori persona neglegitur in Phaedra, libri quidem manuscripti chorum Thressas nominant, sed haec cum Phaedra, filia regis Cretensium, communio nusquam manifesta est, nam Phaedram chorus existimat saevam novercam (v. 357) reginam (v. 359) feminam (v. 824). Item chorus personae expers in Hippolytum se gerit quem solum nominat Hippolytum (v. 737) mortalem (v. 761) virum (v. 820) iuvenem (v. 825).

1) Cf. p. 17 s.

2) In tertio stasimo v. 1055 ss. aperte misericordia captum se praestat.

Postremo artius se immiscent actioni cum Iovem precantur in secundo stasimo et valde se commotos dicunt[1]). Qua neglegentia personae chori ductus in Thyeste chorum adeo incerta persona in scenam produxisse videtur ut e parodo ne cognosci quidem possit quales partes agat, nam nil nisi preces fundit ut dei scelera finiant, quae a Tantali familia usque committantur. Primo demum stasimo certiores fimus de persona chori: viri videntur esse de plebe[2]), sed cur res in scena gestas respiciant non perspicuum est. Thyestes et Atreus a choro appellantur v. 137 progenies impia Tantali; carmina similiora sunt orationibus plenis pietate de rebus humanis in scena visis quam verbis eius, qui his rebus interest. Scelere demum comperto animo commoventur v. 743 et tertium stasimum est de eorum fortuna, sane longinquiore loco arcessita (v. 870 o nos dura sorte creatos). Est ille quidem chorus in fine et animi commotione et sua fortuna in extrema fabula cum argumento coniunctus.

Duabus in fabulis Seneca exempla Graecorum auctorum non secutus alia[3]) persona indutum chorum in scaenam misit, sed Graeca ratione cum argumento coniunxit. Nam chorus in fabula Medea et apud Euripidem et apud Senecam solis animis rebus in scaena gestis

---

1) V. 1261.

2) V. 400.

3) Iasonis nuptiae ultro auctori catervam praebebant hymenaeum cantantem, quam scenarum dispositionem unde Seneca sumpserit neque dici potest, neque cur personam mutaverit, neque cur in Agamemnone παραχορήγημα illud Troadum induxerit. Ex Senecae ratione fabularum componendarum affirmas ex exemplo quodam autorem utrumque adhibuisse.

interest. Iuvenes Corinthii[1]) ex quibus chorus Medeae constat actoribus obsistunt aut cum eis faciunt, quas partes per totam fabulam agunt. In parodo sponsis carmen nuptiale canunt et in secundo stasimo pro Iasone precantur[2]) (v. 668); Medeam chorus fugitivam (v. 109) ducit, et „maius mari . . . malum" (v. 362) et „cruentam" maenadem (v. 849) et „nefandam Colchidam" (v. 871); regem iuvenes dominum appellant (v. 109). In Agamemnone duos choros et Mycenensium et captivarum mulierum Troadum induxit, quorum uterque sua fortuna utitur. Sed vitium, quod iam apud Graecos auctores invenimus non vitavit, nam chorus fortuna sua impeditur, quominus ipsum fabulae argumentum respiciant, quae sunt Clytaemestrae insidiae. Chori et histriones adeo suis quisque fortunis vexantur, ut nulla eis communio intercedat[3]). Ceterum ne hic quidem Mycenensium chorus per totam fabulam secundum certam suam personam res agit.

Senecam duas sententias in choro cum argumento fabularum conectendo secutum esse videmus. Primum quidem ut chorum secundum naturam personae suae se gerentem induceret enisus est, qua in re Graecorum poetarum ratione chori cum actione conectendi utebatur. Deinde autem personam chori neglegebat[4]), quo fit, ut

1) V. 108.

2) Sane mentione dignum est quod Iason choro non maritus filiae regis est, sed is, qui mare subegit (v. 596).

3) Parodo decantata primo in stasimo superis gratias agunt „pace relata" (v. 326) et gaudent quod nunc pace fruuntur. Tertium stasimum, nam non a Troadibus cani potest, laudibus Argivae terrae sacratum iterum de rebus suis proferunt. — Secundo stasimo Troades captivae suam miseram fortunam lugent (589—692).

4) Quamquam in nulla fabula intermittit conexum chori cum argumento fabulae instituere.

Seneca ne in fine quidem fabulae, ubi Graecorum poetae semper chorum propius ad argumentum alligunt, conexum servet et in initio, ubi Graecorum auctores semper auditores de persona chori edocent chorum incertae personae inducat[1]. Atque hac ratione Seneca in plurimis suis fabulis utebatur. Quo iam Euripidem deflexisse supra vidimus, sed poetas tragicos post Euripidem in fabulis componendis hanc rationem secutos dici nequit et propter Rhesum cuius chorus certa sua persona per totam fabulam cum argumento coniunctus est et propter Enni Iphigeniae chorum militum. Huc accedit, quod Seneca ipse fabulas docuit quorum chorus certam personam suam per totam fabulam observaret. Quae cum ita sint Senecae ipsius artis tragicae hoc esse proprium dicere debemus[2], praesertim cum poetas post Senecam Graecorum poetarum rationem adhibere videamus.

Nam in Octavia, quae fabula est de Octaviae Augustae fortuna chorum habemus civium Romanorum, qui quamquam solis animis rebus in scaena gestis intersunt, tamen ut homines vere Romani se gerunt, quorum domina mala patitur[3]. Quae commotio animi cur, quo diutius fabula agitur, eo magis minuatur, causam affert poeta: metunut enim[4], neque postremo quanto-

1) In Thyeste et Agamemnone.

2) Si Seneca chorum omnino persona carentem, ut „chorum" in scaenam produxisset idem accidisset quod in comoedia Prologo, sed ut chorus comoediae, quamquam saepe eandem ebriorum invenum personam gerens ita tragoediae semper chorus persona quadam indutus in scenam prodiit.

3) V. 276 <coniunx n o s t r i principis> Octavia choro est.

4) V. 290, v. 675.

pere animo commoti sint celant[1]) et reginam morituram consolari student exemplis allatis[2]). Quin etiam auctor Herculis [Oetaei][3]) tres choros propria persona indutos in scaenam misit. Quo colligas legem de conexu chori cum argumento fabulae vigere. Atque primus quidem chorus captivarum Oechaliae infortunium suum cum miseratur (v. 172) ab argumento aliquantum recedit, alter autem, soldalium Deianirae, animis cum Deianira coniunctus est[4]) et ex hac persona verba facit. Tertius cum Hercule venisse videtur. Non iam Deianirae fortuna carminum argumentum est sed Herculis quam ut exemplum theologiae tractant primum (v. 1031 ss.) deinde autem in argumento magis versantur lugendo Herculem (v. 1518 ss., 1587) et pro se ipsis Iovem tutore privatis precantur[5]). Uterque auctorum rationem Graecorum poetarum secutus choros cum argumento coniungebat, sed plane novum sunt hi tres chori Herculis Oetaei,

---

1) V. 817, 891.

2) Cf. v. 929 animum firmant exempla tuum.

3) De quo conferas O. Edert, Über Senecas Herakles und den Herakles auf dem Öta. Diss. Kiel 1909. Quod Ackermann (Rh. Mus. 1912 p. 425 ss.) auctorem Senecam esse evincere studet quod revera stoicus sit auctor, nil docet cum et alii Romani litterati homines stoicorum philosophiae dediti fuerint (cfr. Philol. Suppl. X p. 325 ss.). Sane non est unius auctoris hoc monstrum quod nobis ut Senecae Hercules servatum est et arridet opinio quam indicat Leo Senecae trag. Berlin 1878 I. p. 48 ss. Sed unus est homo literatus, qui singulas partes conglutinabat. —

4) V. 583 ss. chorus est <comitum turba> 584 et <fidas comites fatis> se fore pollicentur v. 601; Deianirae eas miseret v. 583, v. 704.

5) Hunc tertium chorum videmus, quod iam in Senecae fabulis observavimus Graecorum more sub finem demum et animis et propria fortuna cum argumento coniungi.

cum Graeci in una tragoedia duos solum choros admittant [1]).

Sed subsistamus. Nunc necesse est chori carmina ipsa adeamus, si investigare volumus qui factum sit, ut non coniuncta sint interdum carmina cum argumento. Quod alias quaeremus.

1) Cf. Euripidis Hippolytum, Alexandrum, Antiopam.

Vita.

Natus sum Hans Fries a. d. XII. Kal. Iul. a. MDCCCLXXXVII Memmingae filius Sigismundi professoris, ex consilio regis Bavariae, Augustae Vindelicorum. Fide initiatus sum evangelica. Aestate a. MCMV maturitatis testimonium Gymnasii ad St. Annam Augustae Vindelicorum adeptus stipendia militaria merui et belli scholam Monachiae frequentavi. Autumno a. MCMVI in universitate Monacensi studiis philologicis me dedi. Autumno a. MCMVII in Georgiam Augustam Gottingensem me contuli. Inde ab autumno a. MCMXII scholis Academiae Berolinensis usque ad hoc tempus intersum.

Docuerunt me viri doctissimi Crusius, Furtwängler, Rehm, Poehlmann, Vollmer Monacenses; Busolt, Brandi, Husserl, Jacobstal, Koerte, Leo, Pfuhl, Pohlenz, Reinach, Schwartz, Schultz, Sethe, Wackernagel Gottingenses; de Wilamowitz-Moellendorff Berolinensis.

Quibus viris omnibus gratias ago quam maximas, imprimis autem Alberto Rehm, Eduardo Schwartz, Friderico Leo, Gustavo Koerte qui prima mea vitae antiquorum studia benignissime moderabantur.